


Y d  
2679





187. 26

Yd  
2679

DE  
NVMBVURGENSIS FABRICAE MAGISTRIS  
COMMENTATIO

QVA  
AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO  
VIRO

IO. ERNESTO GOTTFRIEDO  
ERLMANNO

DICTAE FABRICAE MAGISTRO  
MERITISSIMO

DE  
NVPTIIS

CVM  
IOANNA FELICITATE  
BEYERIA

VIRGINE LECTISSIMA  
MENSE AVGVSTO CIOCCCLXVIII  
NVMBVURGI CELEBRATIS

GRATVLANTVR  
CHRIST. HENRICVS BRAVNIVS CONR.  
ET  
IO. GOTTLIEBIVS KAYSERVS IVR. PR.

---

I E N A E  
EX OFFICINA STRAVSSIA.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

1111

INSTITUTIONE REPTICAE MAGISTRIS  
COMMITTITIO

AMPLISSIMO T. CONSULISSIMO  
V I R O

IO. ERNESTO GOTTLIEBDO  
BRUNNANO

DICTAE REPTICAE MAGISTRIS  
COMMITTITIO

N. V. P. T. I. S.  
CVM

IOHANNNA FRISCITATE  
BEYERIA

REPTICAE REPTISSIMAE  
N. V. P. T. I. S.  
COMMITTITIO

CHRIST. HENRICHVS BRAUNVS CONR.  
ET  
IO. GOTTLIEBVS KAISERVS VR. PR.

I E N A E  
EX OFFICINA STRASSIAE





**VIR**  
**AMPLISSIME ET CONSVLTISSIME**  
**FAVOR PLVRIMVM SVSPICIENDE**



**Q**UOD immortalis Dei, qui omnia  
gubernat, cura prouida con-  
cessum est, vt auspiciatissimus,  
qui hodie illuxit, dies **TIBI** no-  
ui connubii adferat laetitiam, id tum omnibus,  
qui **TIBI TVARVM**que nuptiarum solemnitati  
bene cupiunt; tum praesertim nobis, qui in **TE**

**A 2**

colen-



colendo omnem collocamus operam et in huius officii genere a nemine nos superari patimur, est summae voluptati. Ex quo enim, VIR CONSVLTISSIME, propius TE nouimus, prout iam nostra de TE fuerat opinio, TE experti sumus virum, probitatis, ingenii, doctrinae, comitatis, constantiaeque laude conspicuum; quae singulares virtutes in TE conspirantes et coniunctae quantam apud omnes TIBI comparauerint estimationem, quantumque nos adfecerint, iam diceremus, nisi modestia, quae in TE est maxima, id prohiberet. Tantum vero abest, vt TVAE erga nos benevolentiae obliti videamur, vt hac occasione data obseruantiae in TE nostrae publicum edamus testimonium, confisi, TIBI gratulantium amicorum studium non displicere. Felicem, immo ter felicem praedicamus TE maritum, qui felicitatis potiundae rectam omnino iniisti viam. Domum ducis fausto sidere IOAN-

NAM



NAM FELICITATEM, GEORGII FRIDERICI  
BEYERI, Iur. Licent. et S. R. Cap. Numb. Syn-  
dici, nostris laudibus maioris, vnicam filiam,  
virginem natalibus egregiis, incomparabili vir-  
tute, moribus emendatissimis ornatam, quae  
TIBI spondet, fore SE TVIS fortunis adiuven-  
tum, leuamentum curis, domui robur, vitae vni-  
uersae gaudium. Sic redditur virtuti TVAE prae-  
mium, talem enim SPONSAM VIRTUS TVA meruit,  
talique viro SPONSA TVA iungi cupiebat, qui  
IPSI gentique SVAE esset decori. Itaque lae-  
tatur BEYERVS parens, pium hoc et nobis vene-  
randum nomen, ad gentis SVAE gloriam abs TE  
SVO genero adferri cumulum: laetatur BEYE-  
RIA mater, matrona omnibus sui sexus ornatissi-  
ma virtutibus, de FELICITATE SVA tam felici-  
bus locata nuptiis: laetatur BEYERVS filius, pater-  
nae et auitae laudis heres, quam partam non tuetur  
solum; sed adauget quoque clientibus subsidium

ferendo amicus noster communis, et dulcissimae  
 adfinitatis TVAE sensum percipit. Nec is forsitan  
 errauerit, qui credat, pari adfici laetitia manes  
 aui SPONSAE TVAE, GEORGII BEYERI, qui  
 meritorum et eruditionis gloria Vitembergen-  
 sem academiam ornauit olim, et tum in libris,  
 quos reliquit; tam in suis posteris, qui eius  
 imaginem expresse referunt; adhuc uiuit. In  
 qua laetitia communi nos fausta quaeuis ex ani-  
 mo precamur. Sint procul a VOBIS SPONSIS  
 mala omnia; contra vero Deus sanctissimum,  
 quod hodie initis, matrimonii foedus benigni-  
 ter fortunet et VOBIS per longissimam annorum  
 seriem omnia ex voto euenire iubeat. Quae ut  
 fiant, optamus, speramus, confidimus. Itaque  
 ERLMANNE, FELICITATE TVA utere perpetua  
 et Vale! Caeterum nos TIBI habe commen-  
 datos. Scrib. Numburgi, mense Aug.

MDCCCLXXVIII





**D**e magistris fabricae dicturi, primum quid sit fabrica, a) breuibus explicandum esse ducimus; cognitu deinde erit facile, quid eiusdem sit magister. Leges romanae, nec non aliquot scriptores veteres latini, apud quos fabricae fit mentio, hoc vocabulo vel locum, in quo opera publica fabricantur; vel ipsa opera, in fabrica confecta, videntur indicare; sed in sacro iure fabrica denotat aerarii partem, ex qua ecclesia cathedralis aedificia publica reparari et facta recta praestari iubet. Fabricam qui curat, is eius est magister, cuius apud nos in eo potissimum versatur munus, ut pecuniam, quae venit vniuerso SYMME REVERENDO CAPITULO ex redditibus, inquirat et conseruet, ea, quae sumtu publico soluenda sunt, siue pro redemptis operibus; siue pro laboribus, tam in sacra; quam civili re ab aliis susceptis, praestet et referat in tabulas, more quaestoris olim apud Romanos, cuius iudem curae et fidei erat commissum rei publicae aerarium. Vt vero prouincia haec ad quaestores demum transferebatur, quae a consulibus initio fuerat administrata: ita Canonici, qui olim fabricae curam ipsi habuere, deinde certas personas constituerunt, qui reditus et rationes fabricae curarent et exigent, de quibus adhuc notandum est, multa alia

a) conf. BOEHMER de iure parochial. sect. v. cap. 2. p. 276. ERSSONIVS de verbor. signif. ed. HEINECCII p.

457. CAROL. DU FRESNE in glossar. sub v. fabrica.




ta alia eos habuisse nomina, quippe qui sunt adpellati, *Aediles* ab aedibus, *Structuarii* a struendo aedificia, *Bursarii* a bursa i. e. arca, cui credebant exactas pecunias, ne pietatis haec deposita auferrentur alienis manibus, et lingua vernacula, *Fabricken-Verwalter*, *Baumeister*, quod nomen posterius praefertim nunc in vsu est.

QVIBVS expositis iam progredimur ad memoriam eorum renouandam, qui dignitate *magistri fabricae* a S. R. CAPITVLO NVMBVRGBENSI ipsis collata conspicui fuerunt. Non omnes quidem; sed tamen plurimos haec chartula depinget. Quorum aetas a nostra est maxime longinqua, eorum ne nomina quidem innotuere nobis indagantibus; aliorum contra res gestas scriptorum incuria nos voluit latere, et hanc ob causam breues erimus in multis. *b)* Agmen ducat

- I. IORDANVS, cui praeter curam fabricae etiam Cantoris munus impostum fuisse ferunt an. 1335. siue, vt alii volunt, an. 1355.
- II. HARTVNG ANDREAS an. 1461. GRVBNERO placet, ANDREAS HARTVNG; nec nobis haec nominum transpositio displicet.
- III. CASPAR LANGIVS, Sacerdos et Vicarius S. Catharinae, sub fine seculi XV. fabricae magister fuit, mortuus an. 1506. Id. Septembr. sepultus in porticu, templo cathedrali iuncta, vbi monumentum eius adhuc cernitur, lapis scilicet quadratus cum effigie Langii excisa, qui indutus sacris vestibus, manu dextra pectori imposta, sinistra calicem tenente se conspiciendum

*b)* statim sub initio indicandum esse censemus, quibus potissimum ea, quae iam iam proferemus, debeantur. Alia supeditauit nobis IO. ZADERI, oratoris quondam apud nos primarii in templo cathedrali *Chron. Numburg. MSC. lib. II.* alia summsim ex litteris et monumentis publicis; alia nobiscum benigne

communicauit par historicorum notabile, IO. CHRISTIANVS GRVBNERVS ICr. Citizenis et MARTINVS SCHAMELIVS, qui est Vinariens. tabular. secret. a commentariis, parris quondam de nostra ciuitate meritissimi vnicus nec indignus filius.



conuentus S. R. Capituli solent peragi, demonstrari nequeat.  
Epitaphium vero ita se habet:

ANNO DOMIN. 1556.

IDVS. VERO. 21. FEBR.

OBIIT. IN. CHRO. VENERA

BILIS. VIR. DOMINVS.

KILLANVS. MEVSEL.

VICARIVS. HVIVS.

ECCLESIAE. CVI9. ANIMA.

REQVIESCAT. IN. PACE.

XI. IOANNES BECKER (BECK) natus an. 1531. In Vitembergenfi academia habita studiorum ratione Aedilis Numburgensis factus est an. 1557. Deinde Cizam concessit, vbi varios gessit magistratus; demum an. 1589. Praefectus Iudicio Praepositurae (Probstei Gerichts Voigt) et breui post praetor vrbanus creatus vtramque prouinciam simul administravit. Mortuus an. 1614. aet. 83. Cizae, sepultus est in aede S. Michaelis, vbi eius adhuc exstat epitaphium. Laudatur ab insigni eruditione, singulari artis musicae scientia, suauitate morum et laborum tolerantia. Stirpis suae fuit postremus, et vt ZADERI verbis vtamur, *inuentarium et sacculus plenus historiarum.*

XII. 10. MARTINI, an. 1559. Camerae et 1561. simul Fabricae praefectus, suis rebus ex voluntate S. R. C. gestis, vitam finiuit d. 31. Iul. an. 1584. Monumentum eius sepulchrale in coemeterio nostro ita legitur;

M. D. LXXXIV. DEN 31. TAG IVLII IST IN GOT SELI  
 GLICHEN AVS DISEM IAMERTAL ABGESCHIEDEN IOHAN MERTIN DER  
 DHVMKIRCHEN ALHIER 25. IARE 22. WOCHEN CHEMRER  
 VND 23. IARE 2. WOCHEN BAYMEISTER GEWESEN DER  
 ALMECHTIGE WOLLE SEINER SELEN GENEDIG SIN. AMEN.

XIII. M. ERASMVS LESNICER (Leisnizer, Loesnizer, Lesnizer)  
 patriam habuit Chemnitium. In schola Portensi et Lipsiensi  
 academia bene eruditus publica ornare coepit munera. A S.  
 R. C. constitutus est Syndicus an. 1579. et magister fabricae  
 an. 1585. Naturae debitum persoluit an. 1608. d. 17. Aug.

XIII. BALTHASAR METZNER, iam Aedilis an. 1597. quo anno  
 eius antecessor munere suo se abdicantē videtur. Gens Metz-  
 neria per aliquot secula hic floruit, virorum illustrium pro-  
 uentu fecunda, inter quos eminent HENRICVS METZNERVS,  
 qui in nostra ciuitate et filius eius IACOBVS, qui Lipsiae  
 consularum gessit, vterque ob multas et reconditas litteras,  
 quibus fuerunt instructi, inter eruditos consules numeran-  
 dus. Noster Metznerus obiit an. 1604. d. 16. Ian. Schoen-  
 burgi prope Numburgum.

XV. M. GEORG. MARTINI, IOANNIS supra laudati ex altera uxore  
 filius. Aedilis factus an. 1604. mortuus est 1626. Vir  
 fuit, qui tum suo muneri optime satisfecit, tum imprimis de  
 nostra ciuitate bene est meritus, ita, vt ciues eum tanquam  
 commune bonum amissum lugerent. Inter virtutes eius,  
 quibus omnium laudum genere dignus est habitus, non po-  
 tremum occupat locum summa beneficentia in pauperes.  
 Fuit enim tanta liberalitate, vt nemini fides, nemini opera,  
 nemini res familiaris eius deesset. Fortuna offensos, minus  
 bene vestitos, suis saepe ornauit vestibus.

XVI. CHRISTOPH. EHRLING Aedilis an. 1627. d. 16. April. vocatus,  
 vitam cum morte commutauit an. 1633. d. 8. Iul. sepultus in  
 Porticu. XVII.

**XVII. GEORG. KRALITZ**, Cizensis, Vic. S. Io. Baptistae et magister fabricae an. 1633. tribus annis post sua sponte discedens. Vita vero defunctus est an. 1674. d. 29. Iun. Is instituit an. 1654. threnos Ieremiae in choro latino quotannis cantandos hebdomade, quae sequitur diem dominicam X. p. Trin. centum florenis ad id legatis.

**XVIII. Faustum ac laudabile nomen est GEORG. GRAEVII**, qui magnam reliquit famam, an sua virtute magis; quam filiorum nomine partam? non diiudicamus. De eius vita haec habemus. Delitium Graevium protulit an. 1593. d. 18. April. patre **PETRO**, Camerario ibidem, vsum. Parentibus praematura morte orbatus venit an. 1610. Dessauiam in principis aulam, deinde Dresdam. Contigit ipsi, vt cum aliis per Germaniam, Vngariam et Polonia iter faceret, in quo itinere multa vidit et expertus est, quae in suum conuertit vsum. An. 1615. Warsaviae Sereniss. Principi **IANNVSIO RADZIVILIO** factus est ab epistolis, in quo officio eum singulari fide fuisse et industria, ex eo poterit cognosci, quod **RADZIVILIO** defuncto Serenissima eius coniux vidua **ELISABETHA SOPHIA** ex gente electorali Brandenburgica Graevium secum retinuit, neque minus, quam nuberet **IULIO HENRICO**, duci Angariae et Westphaliae caet. a se dimisit. Perfunctus est hoc munere vsque ad annum 1633. quamvis non sine multo periculo ac vitae discrimine, bello tricennali tunc flagrante. An. 1636. curam nostrae fabricae in se suscepit, cui postquam per nouem annos operam nauasset, propter senectutem ingrauescentem missionem petiit, ipsi cum laude concessam. Fuit vir pius, liberalis, comis, officiosus, humanus. Obiit an. 1661. d. 1. Iul. in domo, quae dicitur *des Mönchs-hof* et nunc possideri a praecell. **BEYERO**, cui gratulamur de filia nupta genero suauissimo. Monumentum Graevii memoriae consecratum extat in nostro coemeterio satis elegans:



D. O. M. S.

MEMORIAE.

VIRI.

ANTIQA. VIRTUTE.

ET. FIDE.

GEORGH. GRAEVII.

POST. EXTERNOS. HO

NORES. AIDILIS. TEM

PLI. HVIVS. CATHE

DRALIS. DVARVM. VXO

RVM. MARITI. ET. EX.

ALTERA. XIV. LIBERO

RVM. PARENTIS.

M. H. F. C.

LIBERI. VII. SVPERSTI

TES. MOESTISS. NATO.

CICIDXCIII. O. CICIDCLXI.

Itaque Graevius bis iniiit nuptias, primum cum ANNA SABINA PREZSCHNERIA, mercatoris Numburgensis filia an. 1627. quae in primo puerperio quum moreretur, in matrimonium duxit an. 1629. CATHARINAM, AMBROSII PREZSCHNERI Icti, Romanorum Imperatoris et Electoris Saxoniae a consiliis, relictam filiam, quacum 28. annos vixit. Graevium patrem e filiis, quos suscepit, duo inprimis maxime nobilitarunt, Io. Georgius et Gottfridus.

IO. GEORGIUS GRAEVIVS Numburgi, non Delitii, yti nonnulli autumant, natus an. 1632 d. 20. Ian. postis ibidem in schola senatoria primis rudimentis in scholam Portensem receptus est an. 1645. in qua omnes superavit condiscipulos ingenio, industria, non modo diurni laboris descriptione feliciter et grauver functus, sed lucubrationum etiam fumos imbibens, maximamque noctis partem Homeri et Hesiodi lectioni impendens. An. 1647. publice dixit de encomio Lutheri, cuius tamen castra postea reliquit.



Scholae valedixit an 1649. d. 8. Maii, carmine graeco recitato, cuius argumentum fuit, *tropaeum populi dei a Midianitis reportatum*. Lipsiae doctores prae caeteris habuit RIVINVM et STRAVCHIVM, quo posteriori praeside diss. de *modis acquirendi priscorum Germanorum ad Tacit. de mor. Germ.* an. 1650. publice defendit. A patre, vt debitum quoddam exigeret, in Frisiam orientalem missus Dauentriae IO. FRIDER. GRONOVIO totum se addixit et retexuit filium litterarum. Amstelodami ALEXANDRVN MORVM et DAVI-DEM BLONDELLVM duces habuit in historia et theologia, quo facto reformatorum partes elegit. Publicum alios docendi munus ipsi perquam iuveni est creditum primum Duisburgi; deinde Dauentriae in locum Gronouii defuncti, quem praecceptorem habuerat, successit, denique an. 1661. Traiectum ad Rhenum vocatus, vbi Wilhelmi III. regis Britanniae Historiographus, politices, histor. et eloqu. prof. ord. constituebatur. Vitam finiuit an. 1703. d. 11. Ian. magno cum detrimento rei litterariae, fuit enim eruditorum superioris seculi facile princeps et litterati orbis dictator. Domus eius erat quasi musarum domicilium et quum ad formanda ingenia natus esse videretur, maximi iuuenum ad eum quotidie fiebant concursus. Heidelberga, Padua aliaeque plures ciuitates litteratae eum certatim magnis praemiis propositis inuitauere, sed nullo modo persuaderi potuit, vt Traiecto discederet. Wilhelmus rex Angliae ei quam plurimum fauit eiusque auspiciis principem hereditarium Frisiae educari voluit. Ludouicus XIII. Gallorum rex annuam pecuniam e suo aerario GRAEVIO ministrari iussit, adeo regibus et principibus is fuit in deliciis. Inter monumenta ingenii, quae reliquit, quibusque suum nomen immortalitati tradidit, praeter varias veterum scriptorum editiones, quis quaeso est, qui ignoret GRAEVII *thesaur. antiquar. et antiquitat. italicar.* Vitam eius multi descripsere. Prae caeteris vid. PETR. BVRMANNI *Traiect. erudit.* p. 112. eiusque *Orat. in obitum GRAEVII.* Ad res domesticas eius quod attinet, duxit an. 1656. IOHANNAM OTILIAM, ex nobili Campiorum gente, Dusseldorfsensem; Filium, Theodorum nomine, XXIII. annos natum amisit, immo potius res littera-

litteraria, quippe fuit paternae laudis socius et summae expectationis iuuenis, cui iam publici doctoris in academia Traiectina munus erat demandatum.

GOTTFRIDVS GRAEVIVS potentissimo Poloniarum regi Electori Saxoni a consiliis, in Scabinatu adfessor, Thomanae aedis curator et in ciuitate Lipsiensi Consul, Numburgi nat. an. 1641. d. 20. Nou. in schola Portensi per sexennium imbutus graecis latinisque litteris secessit in Lipsiensem academiam an. 1661. vbi cognati sui IO. SCHILTERI lectionibus tam philosophicis; quam iuridicis interfuit. An. 1663. adscitus a fratre Traiectum in id enisus est, vt hoc duce vtriusque linguae et antiquitatum scientiam cum historia et prudentia ciuili coniungeret, physicam vero et mathefin duce IO. DE BRVYN addisceret. Biennium Traiecti commoratus ad suos rediit. Anno 1673. Senatui Lipsiensi a secretis factus an. 1698. munus Syndici sine spe et ambitione occupauit, et bibliothecae instruendae, cuius custodiam ei senatus imposuerat, curam in se suscepit. Tandem an. 1709. Iacobo Bornio Consule mortuo, omnium suffragiis in eius locum est susceptus, quos omnes magistratus magna cum auctoritate gessit, pollebat enim tanta doctrina et facundia, quanta animi sinceritate, humanitate et solertia. Obiit an. 1719. d. 31. Octobr. Orationem funebrem ei dixit GOTTFRIDVS LEONHARD. BAVDIS.

XVIII. HENRICVS FERBER ex antiqua et nobili Ferberorum gente, natus Weissenfelsae an. 1613. d. 6. April. ablegatus in scholam Portensem an. 1628. singulari industria in litteras incubuit, per varios tamen belli tumultus armorumque strepitus a studiis prosequendis fuit prohibitus. Magister fabricae an. 1646. Numburgum vocatus per triginta annos omni fide et ex voluntate superiorum suis satisfecit paribus. Animam efflauit an. 1676. d. 3. Iul. aet. 63. Ex vxore Blandina Staffelia nouem liberorum parens factus, filio suo IO. BERNHARDO praesertim est delectatus. Is lucem videre coepit Numburgi an. 1650. d. 30. Octobr. alumnorum scholae Port. numero adscriptus an. 1663. Sexennio peracto Ienam petiit, deinde Kilonium, postea





postea Heidelbergam, vbi peritissimum medicum, FRANCKIVM & FRANCKENAV summum fautorem ipsi conciliavit diuina prouidentia, ad remuneranda beneficia, quae olim, quum Numburgi nostram scholam frequentaret, in Ferberi patris domo acceperat, paratissimum. Principis enim hereditarii Palatinatus CAROLI coniux eodem tempore quum aegrotaret maxime, ex commendatione Franckenauii Ferberus huic principi etiam suam nauauit operam, ob id Caroli Palatini summam beneuolentiam consequutus. Qui exteras gentes quum adiret, inter alios Ferberum comitem itineris elegit. In Anglia quum esset, Oxoniensis ipsi academia doctoris dignitatem et insignia offerebat, quae noluit accipere nisi patrem honorem Ferbero suo haberent, id quod etiam factum est. Carolus ex itinere redux patri Electori mortuo quum succederet, Ferberum physicum esse iussit Neostadii ad Haardtiam. Bello deinde post Caroli mortem grauissimo exorto, quod prope ad interuersionem Palatinorum gestum est, Ferberus secessit Numburgum in patriam urbem, vbi Physici honore et titulo insignitus aegrotantibus mederi studuit. Ex eius, quos reliquit, liberis est IO. BERNHARDVS, Numburgi nat. 1699. in scholam Portensem receptus an. 1712. ex eadem cum laude missus an. 1718. habita oratione de *more principes academicis ornandi gradibus*. Exinde Ienensem academiam salutauit et in philosophia doctores habuit IO. GEORG. WALCHIVM, iam academiae Ienensis Summe Venerabilem Seniore, et KOELERVM, in iuris scientia DIETMARVM, HARTLEBIVM et LANGGVTHIVM, in historia STRUVIVM. An. 1725. antequam discederet Iena, publicum eruditionis suae specimen edidit, disputans praef. WILDVOGELIO de *concurrentia diuersae iurisdictionis competente*, quo facto Numburgum rediit, iudicii nostri scriba constitutus et an. 1739. eidem iudicio praefectus, quo munere adhuc perfunctur. Optamus huic meritissimo seni longissimam aetatem, de

de laude vero eius, quae est maxima, tacemus, ne quid adulationi dedisse videamur.

XX. BERNHARDVS STAFFELIVS natus Numburgi an. 1635. d. 10. Ian. patre eiusdem nominis. Studiis scholasticis in schola Portensi rite pertractatis, Lipsiam contendit an. 1655. vbi praeceptores nactus est THOMASIVM, SCHWENDEDOERFFERVM, et SCHACHERVM, cuius quidem domicilio vsus est et conuictu. Quinquennio exacto domum rediit, anno 1661. Iudicio nostro praefectus (Gerichts Voigt) electus et an. 1676. Magister Fabricae. Vtramque spartam ornauit magna qua dignitate, donec inter viuos esse desineret an. 1682. d. 5. Ian. De caeteris tanta erat eruditione, vt clarissimos sui aevi Ictos aequaret.

XXI. IO. EHRTMANN post varios casus, etiam post discrimina militaria, an. 1682. d. 31. Iul. Aedilis, in qua statione per tres annos stetit. Sua sponte deinde discedens vitam priuatam degere coepit.

XXII. IO. GEORG. FISCHER Numburgi in hanc lucem editus, in scholam Portensem receptus an. 1669. post sexennium missus Vitembergam se contulit, vt animum altioribus excoleret disciplinis. Artis voce et fidibus canendi fuit peritissimus, hinc patri Organoedo adiutor datus an. 1680. Camerarius factus an. 1682. et demum magister fabricae an. 1686. Ob multa quae ipsi vxor, nimium sibi indulgens, contraxerat incommoda remotus an. 1701. Cizam se conuertit, similem fortunam ibidem expertus. Factus enim an. 1705. Capituli Cizensis Aedilis, an. 1708. iterum dimissus est. Obiit in summa egestate an. 1721. d. 21. April. septuaginta annos natus et amplius. Caeteroquin vir non indoctus fuit et aliquot ingenii sui fetus edidit: *Statuta der Stadt Naumburg wegen der succession ab intestato*, Ienae 1698. *Nachricht von der Kirche zu Possenhain*, Numb. 1701. *Begräbnis Io. Rosini*, Numb. 1702. et varios reliquit libros MSC.



**XXIII.** IO. GOTTFRID. GRASHOF patrem habuit celeberrimum virum HENRICVM WILHELMVM, Seren. duci Vinariensi nec non comiti Nassouieni a consiliis et Mulhusanae ciuitatis Syndicum cet. Numburgum venit et Fitcheri in locum successit an. 1701. Ad Syndici dignitatem euectus obiit an. 1735. d. 13. Febr. sine coniuge et liberis. De eius vita ante peracta nihil certi habemus; neque de loco eius natali. Litterarum elegantiorum et iuris tam publici; quam ciuilibus magnam habuit scientiam. Iudicio multum valebat, sed animo erat fevero et moroso, ita vt ciues eum magis timerent, quam diligerent.

**XXIII.** IO. CHRISTOPH. LICHT, natus probis et honestis parentibus admodum durum adolescentiae habuit initium. Rerum suarum amplificatorem statoremque nactus est Summe Reu. DE WERTHER, ecclesiae nostrae quondam Praepositum. Eius enim opera fabricae cura ipsi an. 1714. est tradita, cui cum multa laude praefuit; anno vero 1748. sponte ab ea se abdicavit. Vir erat rerum, quae ad oeconomiam pertinent, rationumque peritissimus, et multarum rerum vsu exercitatus, quamuis non calleret linguas aliasque doctrinas, numquam versatus in eruditorum scholis.

**XXV.** IUSTVS GEORG. MELCHIOR, Gothanus, a iuuentute rei arithmeticae studiosus multum se commendauit Summe Reuer. CHRISTIANO AB VFFEL, duci Gothano quondam a consil. intimis et Praepos. Capit. Numb. iam inter caelites versanti. Qui quum esset in comitatu principis Gothanae, desponsatae principi de Wallis, et in Angliam proficiscentis, Melchior vna est profectus, et hoc in itinere multa memorabilia vidit. VFFELIVS ex Anglia redux quum Numburgum secederet, Melchiorum secum ire iussit, qui Lichtio succedens ab an. 1748. vsque ad 1764. curam gessit fabricae. An. 1766. sedem ac domicilium commutauit, Dresdamque se contulit, vbi eum cum coniuge et vnico filio, suis deliciis, adhuc valere gaudemus cum voto omnigenae felicitatis.

XXVI.

XXVI. IO. ERNEST. GOTTFRID. BREMANN. natus d. 15. Nov.  
 1733. parentibus honore stirpis et meritorum dignitate egre-  
 gius, patre IO. GOTTLIEBO, qui sacra curat Kleinfchocheri  
 prope Lipsiam, tum grauitate, qua suo praeest muneri; tum eru-  
 ditionis copia, qua se praestare variis publice emissis libris de-  
 monstrauit, multum venerando; matre vero SUSANNA  
 MARGARETHA, matrona omnium virtutum laude ornatissi-  
 ma, ENGELBRECHTII, qui Amstelodami olim et deinde  
 Lipsiae mercaturam fecit, filia, cuius mater ex antiqua et no-  
 bili familia VAN HEERDEN sibi ortum vindicauit. Is inge-  
 nii probata indole ad bonas artes se conuertit suaeque indu-  
 striae testem habuit Portensem scholam. Comparatis doctri-  
 nae subsidiis, qua tenerior aetas informatur et ad grauiore  
 disciplinas rite percipiendas apta redditur, scholae dixit vale,  
 oratione habita: *de fatiis vltimis Caroli I. regis Angl.* et egre-  
 gie litteris imbutus Lipsiam accessit, vbi optimorum docto-  
 rum tum philosophiae; tum iuris institutione vsus in vario  
 doctrinarum genere tam ingenium; quam animum fixit  
 praeclare. Nec obscura eius fuit diligentia; nec mercede sua  
 virtus eius caruit. Lipsia enim noluit discedere, nisi luculenter  
 dato doctrinae suae documento; itaque proprio Marte elabo-  
 ratam dissertationem de *diuerso praescriptionis iuris ciuilibis ef-  
 fectu* publice defendit, excell. ZOLLERI praesidio nixus.  
 Absolutis autem et confectis studiorum rationibus in comita-  
 tu Mansfeldensi ditionis Prussicae, vectigali administrando  
 est praefectus. Iam ad vitae huius felicitatem ipsi nihil deesse  
 videbatur, quam socia, quae voluptatem secundarum rerum  
 auget, aduersarum molestias minueret. Cepit igitur con-  
 siliu matrimonium ineundi et virginem exquisitissime cul-  
 tam, CHRISTOPHORI MEIERI, auctoritate et existimatione  
 Canonici Halberstadiensis grauissimi, filiam natu minimam do-  
 mum duxit, ex qua vnicam tantummodo suscepit filiam. Con-  
 iux haec eius dilectissima, quae, quoad vixit, pietate in  
 C 2 deum,



deum, fide in maritum, amore in filiam, humanitate in omnes, non exiguum laudis decus sibi conciliauit, sub huius anni initio placide, quamuis diuturni morbi doloribus cruciata, expirauit eique moestissimus viduus persoluit iusta. Qui vt rebus domesticis suis consuleret, nunc iterum cum IOANNA FELICITATE BEYERIA matrimonii foedus contraxit, quod vt faustum, stabile ac firmum sit nos iterum precamur. ERLMANNVS vero, vt haec addamus, Numburgum euocatus est anno 1764. vt fabricae haberet rationem, in quo munere cum procerum exspectationi; tum existimationi suae adhuc satisfacit perquam optime.



Pon Yd 2679, 2K


ULB Halle 3  
003 880 168



v. 18







ct. 187.

26

Yd  
2679

DE  
NVMBVRGENSIS FABRICAE MAGISTRIS  
COMMENTATIO  
QVA  
AMPLISSIMO ET CONSVLTISSIMO  
VIRO  
IO. ERNESTO GOTTFRIEDO  
ERLMANNO  
DICTAE FABRICAE MAGISTRO  
MERITISSIMO  
DE  
N V P T I I S  
CVM  
IOANNA FELICITATE  
BEYERIA  
VIRGINE LECTISSIMA  
MENSE AVGVSTO CIDI CCCLXVIII  
NVMBV RGI CELEBRATIS  
GRATVLANTVR.  
CHRIST. HENRICVS BRAVNIVS CONR.  
ET  
IO. GOTTLIEBIVS KAYSERS IVR. PR.

I E N A E  
EX OFFICINA STRAVSSIA.

